R. G. ADAMS

Questo libro composto di libretti trentanove ha un gran valore. Il suo piu gran pregio consiste nella lettera di Cristoforo Colombo in lingua Spagnola.



Thomas Randolph Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

[illegible] Carter [illegible] Library

GIFT OF

[illegible] R. Adams

98-106-12

AD ILLVSTRISS.

ET REVERENDISS. D. D.

AVGVSTINVM VALERIVM

TT. S. MARCI S. R. E. CARDINALEM,

EPISCOPVMQ. VERONAE AMPLISS.

IACOBI SEMPERVIVI ECLOGA.



VERONÆ,

Apud Hieronymum Diſcipulum.

M D LXXXVI.

IN EIVS INSIGNE GENTILITIVM.

DVM necat horribiles inſigni cæde chelydros
Fulua Iouis pennas ſanguine tinxit auis;
Ipſe lupos ouium cuſtos dum cædis, & arces,
Tempora purpureo murice vincta geris:
Corporis illa, feros animi tu proteris hoſtes,
Illa cruore, ſacra tu pietate rubes:
Tantò igitur VALERI maior tua gloria, quantò
Corpore mens, odio dignior almus amor.

RPJCB

AD ILLVSTRVM· ET REVERVM·
D. D. AVGVSTINVM VALERIVM
S. R. E. CARDINALEM,
Præſulemq́; Veronæ Ampliſſimum.

CVM primum poſt Ioſephi Caſtelli eruditi & diſerti viri obitum, qui tibi à literis publicis erat, me in eiuſdem muneris partem tua inſignis humanitas ſuffecit, Illuſtriſs. atq; Ampliſs. Cardinalis, variè affectus eſt animus meus; nam, etſi mihi diuinitus occaſio tibi ſeruiendi, tuæq; ineundæ gratiæ, quod iam inde à pueritia pro mea incredibili erga te obſeruantia vehementer optaueram, offerebatur, & amor in me tuus, quem in deferendo mihi huiuſmodi munere tam honorifico declaraſti teſtimonio, mihi erat perſpectiſſimus, non poteram tamen non vereri, vt iudicio de me tuo, hominumq́; opinioni reſpondere poſſem, cum & ingenij acumine, & rerum vſu atq; experientia me parum valere intelligerem. Quare diligenter ineunda mihi ratio fuit, vt ad literarum ſtudia, quæ auidè à primis annis arrepta valetudo prius, cura deinde rei familiaris extorſerat, animum referens, pertinaci ſtudio & labore aſſequi conarer, vt huiuſmodi munere prorſus non haberer indignus: ad quæ me

ſtudia naturæ ſatis inclinatione propenſum honoris huius à te mihi delati ſtimulus vehementius etiam impulit atq; incitauit. Qua in re tua mirum in modum enituit humanitas, cum multum ab ea commodi, ornamenti vero mihi tantum acceſſerit, quantum ego ne cogitare quidem, nedum ſperare auſus eſſem. Immortales igitur tibi ago gratias, & , ſi minus ob meritorum tuorum magnitudinem referre potero, habebo certè maximas & æternas. Quòd ſi tot præclaris tuis in me beneficijs illud etiam accedet, quod naturæ tuæ benignitas pollicetur, vt ſcilicet eam, quam mei iuuandi ſuſcepiſti, voluntatem etiam abſens perpetuò foueas, inæſtimabili me gaudio cumulabis, efficiesq́; vt tui deſiderium, alioqui acerbiſſimum futurum, aliqua ſaltem ratione lenire poſſim. Ego autem, quæ meæ ſunt partes, & mihi demandato muneri diligenter incumbam, & tui memoriam religioſiſſimè colam. Vale Antiſtes optime, teq́; Deus Veronenſi, atq; adeò vniuerſæ Chriſtianę reip. cui maximo es præſidio & ornamento, quandiutiſſimè incolumem conſeruet. Interim verò, vt mea iſthæc tibi dicata carmina, quibus dolorem, quo ex hac profectione tua ſum affectus, pingui licet Minerua, conſolari conatus ſum, æqui boniq́; conſulas, te etiam atq; etiam rogo.

Verona ſeptimo idus Nouemb. CIↃ IↃ LXXXVI.

Iacobus Semperuiuus.

LYCI-

LYCIDAS, TITYRVS, DAPHNIS.

Ly. *ERgo ne perpetuis feries nemora alta querelis*
Tityre, te flentem cum veſpere cernet Eous?
Eia age pone modum lacrymis, Deus omnia forſan
In melius referet, nec erit dolor iſte perennis.
Ti. *Eheu difficile eſt iuſtum frænare dolorem*
O Lycida, caritura dolent armenta magiſtro,
Atq; greges, ouium noto ductore magiſtri.
Ly. *Ne lacryma, vanos etenim fortaſſe timores*
Corde foues, incerta ſolent quandoq; deorum
Ore cani, quin manſurum ſperemus Amyntam.
Quis ſcit an aura tuas, Atheſis quæ dixit, ad aures
Omnia pertulerit, vaſto cum murmure ripas
Ille, vt ais, valleſq; cauas gemebundus, & altos
Impleret montes, extremaq; littora ponti?
Ti. *Certa nimis vidi his oculis, his auribus hauſi*
Certa nimis, nec vana Deus iactauit ad auras.

 Ly. Quin

Ly. Quin age, quãdo vacat, memora mihi verba gemẽtis
Fluminis, interea in molli recubabimus herba,
Et pecus in lætis paſcetur gramina campis.
Ti. Forte ego paſtoris ſedes ingreſſus Amyntæ
Solis ad exortum meditans, vt ſæpe, propinquum
Diuitis è tuguri ſpectabam vertice flumen.
Sed non amnis erat vitreus, nec vt ante fluebat
Leniter, aſpectuue oculos recreabat amœno.
Tunc Atheſis rapidis mœſtum caput extulit vndis,
Mox & inexhauſtis lacrymarum fontibus altas
Exuperans ripas, crebra & ſuſpiria ab imo
Corde trahens, clara ſic demum eſt voce locutus.
Iuppiter, immenſis nam præſtas viribus, & te
Nulla latent, omneſq; iuuas homineſq;, Deoſq;,
Aſpice vt inuideat magnum mihi Tybris Amyntã,
Quo ſine quid voluam liquidas argenteus vndas
Nequicquam, Verona deos aut iactet amicos?
Tu pater hunc nobis dederas felicibus olim
Auſpicijs, vt oues has paſceret, èq; rapacis
Dente lupi tutas ſupero aſſeruaret ouili;
Promeritis etiam titulis & honoribus auctum
Purpureos inter proceres, comiteſq; ſupremi
Paſtoris numeras cui cuncta mapalia curæ,
Scilicet vt noſtri cumulo nil deſit honoris:
Æmulus at Tyberis nobis hunc eripit: heu quid
Pur-

Purpura profuerit miſeris, quid ſplendida lampas
Virtutum quibus ille nitet, ſi hac luce carendum
Sit nobis? ah quæſo ferant hæc irrita venti,
Prorſus & hoc liquidas omen vaneſcat in auras:
Dixerat, et tumidas lacrymis manantibus vndas
Perditus augebat, tum mæſtæ vlulare Napææ
Protinus, inq; iugis Dryadesq;, et Oreades altis,
Hinc pecudes gemere, inſolitis mugitibus illinc
Qua datur immenſum teſtari armenta dolorem:
Deniq; ſollicito miſceri cuncta tumultu,
Et querulum extremis reſonare in vallibus Echo.
Is tandem gelidis iterum ſeſe abdidit vndis
Multa gemens, ego nec lacrymis, perfractus, anhelo
Nec poteram gemitu inſperatum æquare dolorem.
Ly. Iure gemis, ſed adhuc ſperes, an numina aquarum
Omnia noſſe putas? falli quoq; flumina poſſunt.
Ti. Stulte putas errare deos? quin falleris ipſe,
(Ac ne vtinam) certè Romam properabit Amyntas.
Ly. Sed properet, deus ipſe vocat, rediturus abibit
Forte breui, quem cura ſui ſic tangit ouilis;
Nam quis oues melius paſcit? quis diligit æquè,
Inuigilatq;? lupos ſtabulis quis longius arcet?
Ti. Non equidem inficior, timeo magis, omnia tales
Atq; vtinam ſortita forent armenta magiſtros,
Non ſcabies, mala non contagia, non lupus illa
Læſiſ-

Læſiſſet, non dira lues infecta necaret:
Ipſa ſed hæc illum rapiunt bona, cognita ſummo
Cuſtodi pecoris niuei, quæ ſæpe reuoluens
Ingemo: quis fatis vnquam ſic vſus iniquis?
Ah patrios ſaltem fines, & amica liceret
Linquere rura, gregis dilectaq; ſepta puſilli,
Exiguosq; lares, ſequerer per inhoſpita ſaxa,
Per ſyluas dominum intrepidus, per tela, per ignes,
Cuncta libens eius ſubiturus amore pericla:
Fata ſed heu prohibent; ò ſi mihi Dædalus alas
Commodet, vt celeri poſſem curſu atq; recurſu
Ducere ad arua greges, mox & celer aëra tranãs
Viſere ſæpe mei dulciſſima tecta patroni.
Ly. Ah miſer inſanis, nimius te optare coëgit
Nunc amor, haud vnquã fieri quæ poſſe fatemur,
Sit tibi cura tui gregis, illi grata voluntas
Eſt tua, teq;, memor, licet abſens, vſq; tueri
Non renuet; nonne hic etiam ſeruitur Amyntæ?
Ti. Vnica me recreat ſpes hæc: ſed quis venit? ecce
Daphnis adeſt, Daphnis quo non mihi carior alter.
Quo properas ò Daphni? mane, ceſſare parumper
Si potes, hac oro mecum requieſce ſub vmbra.
Ly. Opportunus ades, nimium lenire dolorem
Et poteris forſan paſtor paſtoris amici;
Nam te mænalijs edoctum ſcimus in antris,
Centenas

Centenas quæ nullus ab hinc bene paſtor ariſtas
Perdidicit, totidem nec iam venientibus vnquam
Addiſcet, dum te diuina voce Palæmon
Sedulus ad ſophiam, medicas et Mopſus ad artes,
Verius aut cælo pater ipſe informat Apollo.
Daph. Deſine plura, amor hæc dictat, quo iudice falli
Quiſq; ſolet, tales mihi non debentur honores.
Sed tibi dura nimis quid fors tulit obſecro acerbi,
Tityre? qui mecum Vrania ſpargente liquores
Guſtaſti Aonios, mecum quoq; Mænala adiſſes,
Ni pater heu fatis Damon ceſſiſſet iniquis,
Vnde coactus oues paſcis: ſed pectore queſtus
Quid rumpis? periјt quicquam tibi de grege? ouili
An ſtruit inſidias lupus? an quis faſcinat agnos?
Ti. Daphni premunt maiora; tibi hæc incognita ſoli?
Ecce abit, et ſecum mea gaudia portat Amyntas,
Qui mihi, quod largi pratis ſitientibus imbres,
Quod campis vites, fuerat, quod vitibus vlmi.
Daph. Jllum equidē norā procul hinc abſcedere, et ante
Quam fieret docta cognouerat arte Palæmon,
Rettuleratq́; mihi, tacita ſed gaudia mente
Voluebam, abſceſſusq́; diem ſolabar amari:
Nanq;, arcana mihi ſi nunc aperire liceret
Præſagus docto quæ protulit ore Palæmon,
Tu quoq; gauderes, armenta, gregesq́;, ſupini
Montes,

98-106-13

Montes, & læto reſonarent murmure valles.
Sed properat clauſo procedere veſper Olympo,
Et ſaturas iam tempus oues includere ſeptis.

F I N I S.

J595
N479s
V. I

J595
N479s
V.1